

1726, 19

40

40 1/2

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS

Streit, JCVS,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
MOGVNTINI CONSILIARIVS
REGIMINIS.

L. B. S.

an index in sua causa iur. dicere possit conser-
uente parte adversa?

ERFORDIÆ,

TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.


10. PHILIPPVS
DECANVS
FACVLTATIS IVRIDICAE

REGIMINIS
MOVENTINI CONSILIARIVS
EXIMIISSIMI PRINCIPIS ELECTORS

A. B. N. 1677
L. G. S. C. H. A. N. I. S.

THE GROESCHNIGS ADEL-TYPOG.
ERFORDIA





Proptatus Reipublicæ vigor à jurisdictione solet esse pendulus, in cuius exercitio minimum etiam titubare oppidò est periculosum, labi autem vix non præsentissimum sui alteriusque excidium: jurisdictio proinde exerceri debet non nisi rationabiliter & secundum iustitiæ & æquitatis tramitem, ut pax, concordia & tranquillitas publica servetur, ut lites finiantur, & summam iuris præcepta, quæ sunt, *honestè vivere, alterum non ledere, suam cuique tribuere*, salva & illibata custodiantur. Quod ut fiat, debet quilibet magistratus manere intra orbem jurisdictionis suæ, nec eam extendere ad locum, tempus, personas, ad causas non subiectas, nam *extra territorium jus dicenti impunè non paretur. L. fin. ff. de jurisdictione.* & sicut agentia Physica non operantur ultra suam sphaeram, ita nec moralia; atque hinc sequitur Magistratum non posse sibi vel in sua causa jus dicere. *L. 10. ff. d. l. L. 17. ff. de iurisd. ibi: Iniquum est aliquem suæ rei*

X 2

judi-

judicem fieri. *L. unic. Cod. ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat. Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere. Sua causa vel propria dicitur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. L. 1. §. 11. ff. quando appellandum.* Seu, si vel directe, vel indirecte commodum aut detrimentum judicis in ea lite vertatur, veluti si pro reo fidejussit, vel de evictione obligatus est, vel ab altero litigatorum heres institutus. *L. 17. ff. de judiciis.* Nemo enim sibi ipsi subjectus est: nemo sibi imperare, nec se prohibere quisquam potest. *L. 51. ff. de recept. arbit. tum quia, ut additur in d. L. unic. iniquum admodum est in re propria alicui licentiam tribuere sententiae. Quis enim est, inquit Cicero pro Dejotaro, qui sui periculi judex non sibi aequiorem quam reo prebeat. & Lactant. lib. 2. facilius est judicare de alienis quam de propriis. Quia in alienis ferè lyncei sumus, at circa propria cœcutimus, aut nimio gaudio præpediti, aut ægritudine Perez ad dict. L. unic. n. 1.* Quid autem si pars adversa consentiat, an non saltem tunc licebit in causa propria jus dicere? Negat id Ziegler in tractat. de judic. offic. conclus. 12. §. 12. quia consensus privatus non potest derogare juri publico prohibitivo, sed præcepta hujus juris communiter sunt extra sphaeram arbitrii humani privati. *L. 38. ff. de pact. L. 27. ff. de R. I.* alioquin etiam unus idemque fungeretur partibus judicis, & partis, quod judicii ratio non permittit. Quamvis autem judex alias incompetens per prorogationem possit fieri competens, & hic videatur subesse quædam prorogatio; id tamen non procedit in casu præsentis, siquidem potest quidem fieri prorogatio de uno ente ad aliud
ens

ens simile, non verò de uno ente & aliud ens dissimile, multò minus de non ente ad aliud ens aliquod; iudicium enim substantiatur per tres personas, iudicem, actorem, & reum: & ut una ex his deficiat in foro externo, aut duplicem personam sustineat, & sic de non ente, quod deficit, prorogatio fiat ad ens, non est in potestate litigantis: ut qui privato suo arbitrio defectum iudicium substantialem supplere nequit. *Ziegler. dict. conclus. 12. §. 12.* Non obstat, quod posito consensu partis cesset ratio perhibitiva jurisdictionis in causa propria: quæ est, ne pars incurrat damnum vel injuriam per iniquum iudicium iudicis in re propria; sed volenti non fiat injuria. *L. 1. §. 5. ff. de injur. & nemo intelligatur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt. L. 145. ff. de R. I.* imò liceat juris sui persecutionem, aut conditionem suam deteriorem constituere. *L. 46. ff. de pact.* Ratio enim prohibitionis, in proposito, est periculum iniquitatis sententiæ, quod periculum certe non tollitur per consensum partis in jurisdictionem causæ propriæ, ut per se liquet. *Ziegler. dict. §. 12.* hinc sequitur, sententiam latam ab aliquo in causa propria, nullam esse, tum ob defectum substantialem iudicii, quod necessario exigit, constitui à tribus personis distinctis, iudice, actore & reo, tum ob defectum jurisdictionis in causâ propriâ, ut colligitur ex legibus supra citatis. *Ziegler. dict. conclus. 12. §. 13.* Ergo ex dictis magistratus, per se loquendo, sibi ipsi nequit jus dicere. Addit Ulpianus *d. L. 10. neque uxori posse, vel liberis suis: neque libertis vel ceteris, quos secum habet.* Quia periculum est, ne amor & affectio erga has personas glaucoma objiciat iudici, quo minus æquitatem per-

perspicere possit, aut velit. Verum quoad liberos obstat graviter *L. 77. ff. de judic.* ubi ita Africanus, *in privatis negotiis Pater filium, vel filius Patrem judicem habere potest. Cnjac. 3. ad African. in d. L. 77.* distinguit inter causas publicas, & privatas. In publicis, inquit, neque potest, neque debet: id est, neque jus, neque honestas patitur, ut judicet filius de capite patris, vel contra. In privatis verò potest quidem pater filium habere judicem, & contra. *d. l. 77. ibi, habere potest.* Sed non debet. *d. l. 10. ibi, neque jus dicere debet.* Alii distinguunt inter jus dicere & judicare. Alii inter jurisdictionem contentiosam & voluntariam. Alii aliter. Dubitatur insuper an potestas jus dicendi in re propriâ, consuetudine vel statuto introduci? An summus princeps esse iudex in causâ propriâ? an magistratus jus dicere æquali, aut majori possit? Quas quæstiones pluresque alias, occasione *dict. L. 10. de jurisdic.* plenius & planius ex cathedra explanandas elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DOMINVS

CHRITIANVS LEHMANNVS,

Jütrebocensis,

Natus anno MDCXCIV. mens. Octobr. Patre CHRISTIANO LEHMANNO, Cive & Salario Jütrebocense piè defuncto, matrem habet MARIAM ex stemmate MÜLLERIANA progeneratam, ab his dilectissimis suis parentibus fidei informationi præceptorum in Schola patria fuit traditus, sub quorum, & imprimis Rectoris tunc temporis

poris Clarissimi, piæ memoriæ, Dn. M. CHRISTIANI
GOTTHELF TEUPITZ indefessâ manu ductione tales pro-
gressus fecit, ut anno MDCCXI. Studiorum suorum
persequendorum gratiâ, in celeberrimum Lycæum Tor-
gaviense missus fuerit, ubi præcipuè ex ore celeberrimi
tunc temporis Rectoris Dn. M. GODOFREDI STEIN-
BRECHERI, quem & nunc laudat, ea, quæ ad liberalium
artium & lingvarum studia faciunt, hausit. Cum ve-
rò prælaudatus anno MDCCXII. Spartam Rectoris
Scholæ Hirschbergensis Aug. conf. subiret, eum secu-
tus, per triennium ab ore ejus pependit, solidissimâque
ejus doctrinâ informatus, anno MDCCXV. ad celeberrimam
Academiam Wittebergensem se se convertit,
& Jurisconsultorum famigeratissimorum, Dn. HORNII,
Dn. WERNHERI, Dn. BRENDELII, aliorumque collegia ju-
ridica, tam theoretica quam practica, frequentavit, si-
mulque celeberrimi Jcti, Dn. DRIS. OERTELII Expeditioni-
bus practicis interesse, & manum admovere, quod
gratâ mente agnoscit, eidem licuit. Anno MDCCXIX.
inter Expeditores Præfecturæ Belzigensis, & anno
MDCCXX. Præfecturæ Mühlbergensis receptus, No-
tariusque publ. Cæs. creatus fuit. Anno 1722. Juris
consultus pereximius Dn. Dr. JOANNES HENRICVS HÖP-
NERVS, *Hereditarius in Altschartz, Sacræ Reg. Maj. Pol.
& Elect. Sax. à Consiliis commissum, & Præfectus Offi-
riensis*, eundem in Actuarium dictæ Præfecturæ elegit,
& Cameræ Regiæ Electorali sistit ad præstationem ju-
ramenti soliti, nec non per quadriennium suâ Doctri-
nâ & prudentiâ non vulgari innumerisque beneficiis
adjuvit, qua propter se in perpetuum eidem devinctum
proficetur. Porro in initio anni MDCCXXV. præ-
vio

vio solenni Examine consvetisque datis speciminibus,
in numerum Advocatorum Electoratus Saxoniae recep-
tus, atque in Cancellaria Regia Electorali immatricu-
latus fuit. Tandem nos accessit, & ad consvetum ju-
rium Candidatorum examen admitti decenter petiit,
cui petitioni annuit Facultas juridica, & ei textus ex
utroque jure explicandos assignavit, quos doctè aded
resolvit, & ad quaestiones propositas ita respondit, ut
unanimi consensu ad ulteriora admissus sit, cras itaque
lectionem cursoriam *ad d. l. 10. de jurisdict.* eaque finitâ,
Disputationem inauguralem *de Usuris usurarum licitis*,
hòris consvetis habebit. Quibus actibus solennibus,
ut Magnificus Dn. Rector, caeterique Domini Proceres
& cives Academici interesse velint, rogantur invitantur.
Publ. sub Sigillo Facultat. Jurid. XVIII. Augusti
MDCCXXVI.



Erfurt, Diss., 1725-26


ULB Halle
005 367 786

3



VD18





B.I.G.

Farbkarte #13

40

40 1/2

1726, 19

FACULTATIS JURIDICÆ
 DECANVS,
JO. PHILIPPVS
 Streit, JCVS,
 EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
 MOGVNTINI CONSILIARIVS
 REGIMINIS.

L. B. S.

*an index in sua causa, ut dicere possit conuen-
 niente parte adversa?*

ERFORDIÆ,
 TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

